

OMNIUM POTENTIARUM NOXIARUM

MORBOS

IN CORPORE HUMANO

EXCITANTIUM

DELINEATIO SEU PRIMAE LINEAE

AUCTORE

J. B. CAMIÑA,

MEDICINAE DOCTORE, ET INST.

MEDIC. CATHEDRAE PRO-MODERATORE,

IN CHIRURGIAE MEDICAE FACULTATE

CANDIDATO, INQUE NOSODOCHIO REGIO

HUJUS URBIS VIGILATORE

MEDICO, &c,



COMPOSTELLÆ: IN TYPOGRAPH. D. EMMANUELIS

MARIÆ VILA.

DILECTISSIMIS

SUIS TYRONIBUS

CONSECRAT AC DEDICAT

MONITUM.

Quanto opus non est, ut naturae entium essentiam, operandi modum atque phaenomena, quae ab ipsorum impressione in corpore humano patefiunt, inquirantur, ingenio? Ad hujus operis formationem omnem contorqueri necessum esse naturam cum considero, ac simul omnium scientiarum auxilio Artis salutaris professorem, ut hominem aegrotum dignè pertractet, indigerè, contremisco.

Plures ad hoc opusculum conficiendum Auctores versavi, propriores elegi doctrinas, et innumeras, quibus scatent libri, contradictiones rejeci. Praesentis operis in lucem editus objectum non aliud quam Brunonem Auctorem fuisse, qui ad veritates medicas obtinendas semitam aperuit novam, manifestare.

MonsPELLIENSIS et Parisiensis Schollae paucis ab his temporibus linguam loquuntur philosophicam, quin confiteantur tamen à Brunone in Europam fuisse introductam. Sunt è contra qui in Germaniâ, Italia, et Hispania Brunonianam doctrinam magno cum ardore amplectuntur, et veneratione velut admittunt. Veruntamen nec aliquorum contemptus omnem Brunonis doctrinam errorem esse indicat, nec aliorum adhaesio nimia praecipitò Auctori ejus operam ab erroribus aliquibus liberat.

Demùm, quamvis meos non agnoscam errores, si quisnam eos invenerit, ab eo petam ut comitèr illi mihi annotentur, et à malevolentia non rapiatur.

DISSERTATIO

DE CAUSIS MORBOS

PRODUCENTIBUS.

1.^o **I**lla Medicinae pars morborum causas pertrahens *Aetiologia Pathologica* dicitur.

2.^o Corpus humanum praeter motus leges, et generalia materiei attributa alias proprietates possidet; leges superioris ordinis sua organa dirigunt, simulque movent, ut unumquodque functiones à natura ordinatas perfectè, et commodè exerceat.

3.^o Omnis alteratio ratione organizationis, legum, proprietatum, virium, et functionum vitalium in oeconomia viventi facta causam agnoscit.

4.^o Quod organizationem destruit, aut destruere intendit, quod virium activitatem auget, aut minuit, quod proprietates inordinat, et functiones laedit, legesque, quibus oeconomia corporis humani subordinata permanere debet, ab aequilibrio separat, *causa* vocatur.

5.^o Causarum investigatio optimè necessaria; harum cognito in corpus vivum agendi modo, subsequencia phaenomena prorsùs augurantur; si ergo causas detegimus, ad morborum naturam cognoscendam pervenire facillimè possumus.

6.^o Auctores à se invicem differunt in tradendo accuratam causae definitionem. A remotiore antiquitate morborum causae in *remotas* et *proximas* dividuntur. Quibusdam remotas appellare placet, quae non disjunctae, sed invicem unitae morbum creant. Proximam verò definiunt, quae cum remotarum auxilio morbum ponit, et constituit; haecque *continens* etiam vocatur, quoniam rationem morbi essentialem continet, ita ut posita ponatur, mutata mutetur, sublataque morbus tollatur. Alia existit in *externas* et *internas* causarum divisio.

7.^o Utraque (6) incerta et erronea tenenda; nam morbi sedem, alterationes ipsas, et causarum effectus cum causis hujus divisionis sectatores confundunt.

8.^o Causarum in *praedisponentes* et *occasionales* divisio optima, prima *proegumena*, occasionalis verò *procatartica* nuncupari solet. Praedispositionem *diathesim seminalem* Gaubius (a) appellat, *opportunitatem* Bruno, seminaeque morborum vocantur dispositiones corporis insitae morborum generationi faventes. Occasionales causae cum Gaubio et Brunone *potentiae nocentes* dicuntur, quae sunt res quaelibet ea praeditae facultate, ut morbos in corpore per seminium apto, aut praedisposito producere possint.

9.^o Non itaque tam arbitraria à J. Brunone stabilita divisio (8), cum Gaubius in ea statuenda Aucto-

(a) Gaubius Institutiones Pathologicae. Edit. tert. Leid. Bat. pag. 33.

rem Edimburgensem praecesserit, eamque aliis divisionibus aptiorem consideret. Hic enim Pathologus naturales distinctionis lineas inter causas existere invictis rationibus comprobat per haec verba. » Mutua » utriusque causarum speciei requiritur affinitas, ut » juncta in eundem effectum conspirent, nec alterum » alteri officiat. Non quaelibet potentia cuivis seminio » evolvendo par est. Nec praedispositio datur universalis ad omne morborum genus.... Hinc eadem diathesis alias favet, alias obstat pro diversa potentiae nocentis indole." (b)

10. *Praedisponens* igitur causa ea est conditio, seu corporis status determinati morbi orturum favens, data causa occasionali. Quod verò in subjecto susceptibili morbum, aut laesionem producit, occasionalis causa vel occasio denominatur.

11. Praedispositio subjecti anteriorem dispositionem ad alterationem quamvis suscipiendam supponit. Dispositio ab *innato* temperamento, vel *acquisito* provenit.

12. In praedisponentes et occasionales divisio, cum philosophica appareat, nihil vagi, incerti, aut dubii includat, omnesque simul causarum differentias conciliet, admittenda esse debet, facilemque ad aegritudinum curationem introitum patefacit.

13. Ille organicae structurae modus, singularisque omnium vitae functionum ordo, sub temperamenti innati nomine designatur. Ea autem oeconomiae vi-

(b) Gaubius loco citato.

ventis subsequuta modificatio, et à variis corporum externorum impressionibus orta, temperamentum acquisitum nominatur. Quamvis occasionalis causa omnes temperamentum acquisitum producentes potentias includat; attamen, ut causa vera occasionalis considerata, dicitur illa præcipuæ cujuslibet potentiaæ actio morbum actur ponens.

14. Primum itaque quod considerandum occurrit; temperamentum innatum; acquisitum secundum obtinet locum, tertium denique occasionales tenent causae.

TEMPERAMENTUM INNATUM.

15. Sicuti in causarum divisione magnae inter Auctores discordia, ita etiam in temperierum distributione et enumeratione quotidie disputationes resurgunt enormes.

16. Galenus primus, qui ad methodicam classificationem temperamenta redegit, quatuor ex sua quaternionis hypothesi deduxit, videlicet, *pituitosum* seu *phlegmaticum*, *sanguineum*, *biliosum* et *atrabiliarium*. Galeni hypothesi avidissimè secuta fuit, et ab omnibus usque ad Halleri tempora Professoribus caecutientibus amplexa.

17. Vim musculorum contractilem Hallerus manifestavit, inde nervorum sensilitatem à contractilitate distinctam invenit, aliudè magnum aeconomiae influxum sanguinem praebere observavit; proindeque tria corporis humani temperamenta generalia statuit, scilicet,

sensibile, irritabile ac plethoricum seu roboris.

18. Praecipuae inter has hypotheses differentiae à modo, quo actiones vitales exercentur, rationem petunt. Galeni Sectatores humores primum vitae movens, et ultimum moriens conspiciunt. Reliqui vitae proprietates in solido vivo residere, fluidaque parùm aut nihil incitationis solidis offerre contendunt.

19. Quamvis utraque factis (18) innititur, non diffitendum tamen *Solidistorum* rationes melius oeconomiae vitalis phaenomena explicare.

20. Prima et praecipua proprietatum vitalium sedes, solidam reputatur: harum igitur proprietatum deflexus quilibet in solido primum quam in liquido considerandus.

21. Germen humanum, nondum faecundatum, nihil praeter substantiam fluidam visibiliter monstrat, cum reapse sit ordinata textuum collectio, primae structurae lineas componens. In hoc statu cellularis textus reverà datur, nervorum systema existit, exhalantia et absorbentia, aut speciales organizationis fundamentum, respiciunturque vasorum sanguiferorum delineationem existere supponitur. (a)

22. Primaevorum textuum adunatio, quin forinsecus excitationem accipiat, in inertia conservatur. Semen prolificum, in foeminae ovario inclusum, ovum faecundat, vitae signum imprimit.

(a) Bichat Anatom. Générale. Consider. gener. pag. 4.

ventis subsequuta modificatio, et à variis corporum externorum impressionibus orta, temperamentum acquisitum nominatur. Quamvis occasionalis causa omnes temperamentum acquisitum producentes potentias includat; attamen, ut causa vera occasionalis considerata, dicitur illa præcipuae cujuslibet potentiae actio morbum actu ponens.

14. Primum itaque quod considerandum occurrit; temperamentum innatum; acquisitum secundum obtinet locum, tertium denique occasionales tenent causae.

TEMPERAMENTUM INNATUM.

15. Sicuti in causarum divisione magnae inter Auctores discordiae, ita etiam in temperierum distributione et enumeratione quotidie disputationes resurgunt enormes.

16. Galenus primus, qui ad methodicam classificationem temperamenta redegit, quatuor ex sua quaternionis hypothesis deduxit, videlicet, *pituitosum* seu *phlegmaticum*, *sanguineum*, *biliosum* et *atrabiliantum*. Galeni hypothesis avidissimè secuta fuit, et ab omnibus usque ad Halleri tempora Professoribus caeculentibus amplexa.

17. Vim musculorum contractilem Hallerus manifestavit, inde nervorum sensilitatem à contractilitate distinctam invenit, aliunde magnum aeconomiae influxum sanguinem praebere observavit; proindeque tria corporis humani temperamenta generalia statuit, scilicet,

sensibile, irritabile ac plethoricum seu roboris.

18. Praecipuae inter has hypotheses differentiae à modo, quo actiones vitales exercentur, rationem petunt. Galeni Sectatores humores primum vitae movens, et ultimum moriens conspiciunt. Reliqui vitae proprietates in solido vivo residere, fluidaque parùm aut nihil in excitationis solidis offerre contendunt.

19. Quamvis utraque factis (18) innitur, non diffidendum tamen *Solidistorum* rationes melius oeconomiae vitalis phaenomena explicare.

20. Prima et praecipua proprietatum vitalium sedes, solidam reputatur: harum igitur proprietatum deflexus quilibet in solido primum, quamvis in liquido considerandus.

21. Germen humanum, nondum faecundatum, nihil praeter substantiam fluidam visibiliter monstrat, cum reapse sit ordinata textuum collectio, primas structurae lineas componens. In hoc statu cellularis textus revera datur, nervorum systema existit, exhalantia et absorbentia, aut speciale organizationis fundamentum respiciuntur, et vasorum (sanguiferorum) delineationem existere supponitur. (a)

22. Primaeavorum textuum adunatio, quin forinsecus excitationem accipiat, in inertia conservatur. Semen prolificum, in faeminae ovario inclusum, ovum faecundat, vitae signum imprimi.

(a) Bichat Anatom. Generale. Consider. gener. pag. 4.